



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

XXXIX. Erectio trium Cœnobiorum Recollectionis in Provincia Bœtica Tertii
Ord. S. Francisci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

& expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.
Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XX. Octobris MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXXVIII.

Confirmatur Decretum Congregat. Concilii, quo conceditur Vicariis Generalibus Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redem. Captiv. in Indiis facultas ejiciendi inquietos, & incorrigibiles.

Extat moderatio Constitutionum Constitut. ed. 1692. Mar. 1. P. 1. Et Clem. XI. Constitut. ed. 1702. Mar. 29. P. 2.

Dat. 24. Oct. 1693. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.
Ad futuram rei memoriam.

Causa d. Decreti.

Nuper pro parte dilecti filii moderni Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Congregationi Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum exposito, quod cum in Constitutionibus dicti Ordinis Cap. VI. Dist. V. soli Magistro Generali pro tempore existenti ejusdem Ordinis cum assistentia tamen sex Religiosorum ipsius Ordinis, tribuatur facultas cognoscendi de causis Fratrum inquietorum, & incorrigibilium ipsius Ordinis, itaut postquam de iis cognoverit, atque in illis rationes, & circumstantias a Constitutionibus prædictis requisitas adesse compereat, ipse solus Magister Generalis ad sententiam eorum ejectionis juxta formam in eisdem Constitutionem præscriptam, procedere possit; Ordo vero præfatus longe, lateque diffusus in Indiis reperitur, inquietorum, & incorrigibilium fratrum hujusmodi in tam remotis partibus degentium scandalis, & perturbationibus opportunum remedium adhibere nequibat. Ac proinde pro parte dicti Vicarii, & Procuratoris Generalis prædictis Cardinalibus supplicato, ut ad duos Vicarios Generales dicti Ordinis in eisdem Indiis commorantes prædicti Magistri Generalis facultatem extendere dignaretur, itaut eorum quilibet itidem cum assistentia aliorum sex digniorum Religiosorum in casibus necessariis, juxta earundem Constitutionum præscriptum, ad inquietorum, & incorrigibilium Fratrum hujusmodi ejectionem procedere possit; qua ratione regularis observantiæ, ac Divini servitii conservationi in partibus prædictis opportune consultum foret: Emanavit a prædicta Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Die 5. Septembris 1693. Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attenta relatione Eminentissimi Domini Cardinalis Orthoboni Ordinis prædicti Protectoris, censuit petram facultatis extensionem concedi posse, facto verbo cum Sanctissimo. Et facta per Secretarium sub die 27. ejusdem Mensis relatione, Sanctitas sua benigne annuit, accedente consensu Generalis pro tempore, & juxta normam in Decreto de Apostatis, & Ejectis præscribendam.

Decretum Congregationis.

Preces Vicarii, & Procuratoris Gen.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmiter subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Vicario, & Priori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis,

si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium:

Confirmatio relati Decreti.

Clausula:

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XXIV. Octob. MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Confirmatur erectio trium Cœnobiorum Recollectionis in Provincia Batava Tertii Ordinis S. Francisci.

XXXIX.

Const. ed. 1693. Aug. 15. P. 3. confirmata fuerunt quedam statuta. Et Const. ed. 1695. Jul. 20. P. 5. præcipitur observantia statutorum in Collegio Sancti Isidori de Urbe.

INNOCENTIUS PAPA XII.
Ad futuram rei memoriam.

Dat. 21. Nov. 1693. An. 3.

Alias Nos supplicationibus dilectorum filiorum Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciæ S. Michaelis in Batava Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum quoddam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita emanatum, quo nonnulla statuta a Diffinitorio dictæ Provinciæ pro felici directione trium Conventuum Recollectionis nuncupatorum in eadem Provincia non ita pridem erectorum edita confirmabantur toto statutorum hujusmodi tenore inserto per quasdam nostras in simili forma Brevis die 15. Augusti proxime præteriti expeditas literas approbavimus, & confirmavimus, prout in iisdem literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

In laudata Const. confirmata fuerant quedam Statuta, non autem erectio Cœnobiorum.

§. 1. Cum autem, sicut Minister Provincialis, Custos, & Diffinitores prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, in Decreto prædicto statuta præfata dumtaxat confirmata fuerint, ipsi vero Exponentes etiam eorundem Conventuum ere-

1693.

Preces Superiorum.

tionem Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes amplioris favore gratiae prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, & attenta relatione, quam Ven. Fr. noster Alderanus Episcopus Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & sedem Apostolicam Protector eisdem Cardinalibus super praemissis fecit, Erectionem praedictorum trium Conventuum Recollectionis in eadem Provincia factam, ut praefertur auctoritate Apost. tenore praesentium approbamus pariter, & confirmamus, illique in violabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio d. Erectionis.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Conventuum, Provinciae, & Ordinis praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statuti, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Novembris MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

XL.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis super concessione Indultorum suscipiendi Ordines extra tempora.

Inn. XI. Const. ed. 1686. Jan. 30. P. 10. agitur de ordinatis cum falsis dimissoriis. Et hujus Pontificis Const. ed. 1694. Nov. 4. P. 3. de ordinationibus alienorum Subditorum.

Dat. 13. Oct. 1693. An. 3.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa Decreti.

Sancitissimus Dominus Noster Innocentius Papa XII. pro pastoralis suo in commissum sibi Gregem Dominicum zelo, ac tuenda disciplinae Ecclesiasticae studio prospicere volens, ne Indulta suscipiendi extra tempora a jure Statuta Ordines nimis facile concedantur, Congregationi particulari Eminentissimorum Dominorum Car-

dinalium Carpinei, Casanatis, Marefcotti, Coloredi, Panciatici, & Albani, necnon Illustrissimorum Dominorum Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique Secretarii infra scripti specialiter deputatae expendendas commisit causas, ex quibus praefata Indulta tribui solent, & Sanctitati Suae referri possent, quae ratio deinceps in eunda, modusque adhibendus videretur in concessione similibus Indultorum.

§. 1. Quae quidem Congregatio in Aedibus praefati Eminentissimi Carpinei die 10. Novembris, atque iterum 7. Decembris Anni currentis habita, re mature discussa, censuit Indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex causis infra scriptis, videlicet.

Decretum Congregationis.

§. 2. Ut quis Beneficio, vi cuius ardeatur ad Presbyteratus Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniae ad vitam sibi concessae per seipsum inservire possit. Ob penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in Monasterio pro Regularibus, Ob solatium Patris, vel Matris, dummodo quinquaginta aetatis annos excedat, & Orator saltem per triennium in Clericali habitu honeste, & laudabiliter vixerit. Item concedi posse censuit eadem Indulta Referendariis utriusque Signaturae, Familiaribus Summi Pontificis, Canonice Cathedralis, vel etiam Collegatae Ecclesiae, eorumque Coadjutoribus, Magistris, seu etiam Baccalaureis in Sacra Theologia; Doctoribus utriusque, vel saltem Canonici juris, Licentiatibus, dummodo singulos praefatos gradus in publica, & approbata Universitate obtinuerint. Iis etiam, qui saltem per triennium sedulam Theologiae studiis operam navaverint, ac tandem vigesimum sextum aetatis annum excedentibus, si per triennium in Clericali habitu honeste, & laudabiliter vixerint.

Quibus concedenda praedicta Indulta.

§. 3. E contra censuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quod quis Diaconus, Subdiaconus, Literarum Apostolicarum Scriptor sit, seu Magister in Artibus, nobilis, aut praesens in Curia, vel quod Philosophiae cursum absolverit, aut alicui Ecclesiae adscriptus fuerit, ad cuius servitii Titulum ex Apostolico Indulto Clerici ordinari possunt, aut onus Missarum non tamen ex Beneficio Ecclesiastico proveniens, habere se doceat. Insuper censuit Indulta hujusmodi esse deneganda iis, qui aliqua dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis; & Sede Episcopali vacante infra annum a die vacationis minime danda iis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione arctati non fuerint.

Quibus vero deneganda.

§. 4. Item nunquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo.

Item pro quibus diebus, qua de causa, & quomodo concedenda.

§. 5. Denique censuit Episcopos omnes, ac etiam Apostolicos Nuncios, & Legatos Literis in forma Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem Suam Indulta praedicta non ita passim, sed ex certis tantum, legitimisque causis concedere, nec Episcopos ad eorum executionem adstringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad Patrimonii Titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini Sess. 21. Cap. 2. eos vero omnes, qui ab Apostolica Sede facultatem obtinent conferendi Ordines extra tempora, vel aliis respectively tribuendi licentiam, ut conferant, maxime carere debere, ne praescriptos sibi in iisdem facultatibus limites cuiusvis consuetudinis, aut exempli praetextu transgrediantur.

§. 6. Haec autem omnia, & singula supra scripta Decreta, audita ex me integra eorum re-

Confirmatio relati Decreti.

latione